

CIMELIA

Qu

5558

alkona







5558


CIMELIA

Hist: 6.600

Historia Hungariae

1829.

Excommunicatio in Joannem Lapul-
anum, qui se Regem Hungariae
nominat etc.



EXCOMMUNICATIO

In IOANNEM Zapulianum, qui se
Regem Hungariæ nominat, pub
licata per Italiam, Ger
maniam, Hungari
am, & Boemi
am.

62

Cim. Qu. 5538

IN NOMINE DO- MINI AMEN.

Nouerint uniuersi & singuli præsentés literas, siue hoc præsens publicum transsumpti instrumentum inspecturi, pariter & audituri. Nos Vincentium Pimpinellum, Dei & Apostolicæ sedis gratia, Archiepiscopum Rossan. Apostolicum Nunciū, cū potestate Legati de Latere, certas literas Sanctissimi in Christo patris & domini nostri, Domini Clementis, Diuina prouidentia Papæ Septimi/ eius uero Bulla Plumbea, in Cordula Serica, rubei, croceiq; colorum appenden. more Romanæ curiæ expeditas, nobis coram Notario & testibus infra scriptis exhibitas & præsentatas. Ea, qua decuit reuerentia, recepisse, Quarum tenor de uerbo ad uerbum sequitur. Et est talis.

CLEMENS

Episcopus, Seruus seruo tū Dei. Vniuersis & singulis Christianis fidelibus, præsentés literas inspecturis. Salutē & Apostolicā bñdictionē. Cum supremus cæli terræq; moderator, in ea nos iustitiæ sede locauerit, quæ tã ad bonorū tutelam q̃ ad improborū exitiū, diuinitus est cōstituta: Vt munus nobis demādatū, omni ex parte implere ualeamus. Quemadmodū probos & religionis cultores ad uirtutem ardentius exercendam, multiplici officioꝝ genere inuitamus: ita aduersos impios & facinorosos ultrici dextra insurgere, eosq; coercere, & mucrone, præsertim spirituali, ferire compellimur, quo &

A ñ

ipsi meritas pro criminibus pœnas luant, & reliquis sint exemplo, ne quid tale aggredi, moliriue audeant. Sane quū nuper ad nostrum peruenisset auditum, iniquitatis filium IOANNEM, olim VVayuodam Transsylvaniæ. Postquā nephandissimus Turcarum Tyrannus, superiori triennio, cum ualidissimis copijs, Regnum Hungariæ, claræ memoriæ, LVdouico Rege Hungariæ, ac uniuerso eius exercitu profligato occupauerat, ac omnia diuina & humana pessunderat, agris & ciuitatibus uastatione, cædēq; completis. Paucis uero diebus interiectis (mirum dictu) scruissimus ille Tyrannus, nulla ui urgente, nullaue necessitate coactus, ope nimirū diuina, patrociniōq; illius intemeratæ uirginis, sub cuius tutela Regnū ipsum Hungariæ semp est habitū, uniuersam Pannoniam, nullo præsidio relicto, ultro spontēq; dimiserat. Sed cum post eam cladem & flebilem eiusdē Regis LVDOuici interitum, charissimus in Christo filius nolter FERDINANDVS, ipso Pannoniæ Regno legitime potitus esset, dicto IOAnne VVayuoda, qui illud uarijs artibus sibi usurpare contendebat, cœlesti permissu, eiecto atq; fugato. Idem maligno spiritu agitatus, nulla salutis, aut honoris ratione habita, ipsoq; Dei timore procul abiecto, furiata mēte uersare cœpit, ut per nefariū & inauditum scelus, FERDINANDVM ipsum in Regno iam adepto & cōstituto extrudere, longissimeq; arcere posset, ausus rem, quæ uix in cuiusq; Christiani hominis animum cadere posse uidebatur. Immanissimum enim Turcarum Tyrannum, nihil fortasse tale cogitantem, inexcogitato suadendī artificio, & mira quadam uafredine allexit, induxit, excitauit, inflammauit, ut rursus cum numerosissimo

exercitu

exercitū in Rēgnū Hungariæ irrumperet, illudq; eade & cruore repletū, sibi uēdicaret, spe scilicet inani & sacrilega ductus, futurū ut simul atq; Turcæ uictoria potiti essent, Rēgnū ipm sibi habendū, possidendūq; relinquerent, tātis profecto tenebris, & mentis caligine obccatus, ut nō uiderit Tyrannū illum, qui omnem fidem & promissa proprio commodo metitur, Hungariam domitam & subiugatam, nullius alterius ditioni fuisse concessurum, sed eam firmissimis munitam præsidjs, sibi soli duntaxat retenturū. Atq; inde aditu ad reliquam Europam patefacto, ceteras nationes, populosq; Christianos ex hac nefaria IOannis Comitis instigatione, in extremum periculum adducturū. NOS uero attendentes, quantæ sit perfidiæ & atrocitatis Turcarum rabiem, Christianum sanguinem tantopere sitiētem, quasi cruentos & inexplebiles lupos, in Christianū ouile irritare, & tanq̄ manibus inducere. Qui etiā scimus, priscorum patrum sanctionibus cautum esse. Non licere aduersus fideles, & sacri fontis lauacro expiatis, quacuncq; occasione, infidelium opem & auxilium implorare, quum id præsertim non in unius alteriusue perniciem, sed in sacrosanctæ ecclesiæ, & totius Christianæ reipublicæ iacturā atq; calamitatem redundare dinoscatur. Quod quū omnē immanitatem exuperet, uix nobis persuadere poteramus, ipsum IOannem Comitem, non modo Rēgni Hungariæ adipiscendi, sed ne uniuersi quidem terrarum orbis lucrādi gratia uelle suam animā æterno supplicio, perpetuisq; inferorum cruciatibus mancipare, pro qua seruanda, & in cœlestem patriam euehenda, nihil durū, nihil asperum, nihil acerbū in hac uita recusare aut formidare debemus. Quū

verò de ijs nullam certam exactamq; notitiã haberemus.
Volentes in tam graui negotio mature procedere. Vene-
rabili fratri Ioanni Episcopo Albanensi, Seneñ. & dilectis
filijs nostris Antonio, tituli sancti Apollinaris, Presbytero
sancti Seuerini, & Alexandro sanctæ Mariæ in uia lata, de
Cæsarinis Cardinalibus nuncupatis, uiuæ uocis oraculo cõ-
misimus, ut an hæc ita se haberent, solerter exquirere, pla-
neq; edocere uellent, & q̄quid super his cõperti, explora-
tiq; sibi esset, id in Consistorio nostro secreto referrent, re-
ceptisq; & examinatis nonnullis testibus, medio iuramẽto,
uisisq; per eos eorundem testium depositionibus. Factaq;
eoram nobis, in eodẽ Consistorio, fidei relatiõe, ex ipsorũ
testium depositionibus, compertum esse affirmarunt, atq;
dilucide constitisse, ipsum IOannem, & quosdã alios, tan-
ti facinoris conscios ac participes, eundem Turcarum Ty-
rannum, ad Regnum Hungariæ denuo inuadendum, de-
uastandum, & occupandum, suasionibus, exhortationibus,
pollicitationibus, omnibus deniq; quibus fieri poterit, in-
stigationibus induxisse, attraxisse, atq; inclinasse. Idq; non
solum uerum, sed etiã notorium esse reperisse. Et propte-
rea habita super his, cum Venerabilibus fratribus nostris
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatiõe ma-
tura. De illorũ cõsilio, præfatum IOannem VVaiuodam,
ac omnes & singulos, quorum nomina & cognomina pro
expressis habemus, Christi fideles, qui eidem Turcarũ Ty-
ranno, ad inuadendum dictum Regnum Hungariæ, quo-
modolibet auxilium, consilium, uel fauorem, directe uel in-
directe publice uel occulte dederint, & eorum cõplices &
adhærentes, cuiuscunq; status, gradus, ordinis & p̄minẽ-

que sint, & quacunq; dignitate mundana, uel ecclesiastica,
etiã Archiepiscopali, Episcopali, Ducali potestate & aucto-
ritate præfulgeat, Excõmunicationis sententiam, ac alias
censuras & pœnas, contra talia perpetrantes, a canonibus
promulgatas incurrisse declaramus. A quibus Excõmuni-
cationis censuris & pœnis huiusmodi, præterq; in mortis
articulo constituti, & ab alio quam Romano Pontifice,
etiã prætextu cuiuslibet facultatis, cuiusq; pro tempo-
re desuper concessæ, nequeant absolutionis beneficium ob-
tinere. Ita, ut si quem eorum tanquã in tali articulo consti-
tutum, absolui contingat, qui postmodum conualuerit, in
eandem Excõmunicationis sententiam reincidat eo ipso.
ET ut præmissa omnibus innotescant. Vniuersis & singu-
lis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchaliũ,
Metropolitaniũ & aliarum Cathedralium & Collegiatarum
Ecclesiarum, Prælati, Capitulis, & personis alijs Ecclesia-
sticis, etiã quorumuis Ordinum, etiã Mendicantium,
religiosis, exemptis & nõ exemptis, per uniuersum orbem
constitutis, mandamus. Quatenus ipsi, & quilibet eorum,
sub similibus censuris & pœnis, per eos & singulares perso-
nas, eorundem Capitulorum, infra tres dies, quorum unũ
pro primo, alium pro secundo, reliquum pro tertio, & per-
emptorio termino, canonica monitione præmissa assigna-
mus nõ paruerint, eo ipso incurrẽdis. Eundem IOannem
Waiuodam, consultores, fautores, adhaerentes, complices,
& sequaces eiusdem, in eorum Ecclesijs, dominicis & alijs
festiuis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad diui-
na conuenerit, cum crucis uexillo, pulsatis campanis, & ac-
censis candelis, ac demum extinctis, & in terram proiectis

conculcatis, & cum trina lapidum proiectione, ac alijs in
talibus censeris, solitis ceremonijs, excommunicatos, decla-
ratos, ut praesertur, publice denuncient, ac faciant, & man-
dent, ab alijs nunciari & ab omnibus arctius evitari, donec
a censuris, & poenis praedictis absolutionis & reconciliatio-
nis, eorum gratiam, a nobis & sede Apostolica meruerint
obtinere. Excommunicamus quoque & Anathematizamus
omnes, cuiuscunque status, gradus, ordinis & conditionis,
fuerint, qui quo minus praesentes literae nostrae, uel earum
transumpta copia seu exemplaria, in suis aut alicuius Do-
minis legi, affigi, aut publicari, ad omnium noticiam dedu-
ci possint, fecerint, uel procurauerint quoquo modo. Eccle-
sijs quoque Monasterijs, Conuentibus, & alijs quibusuis sa-
cris locis, in quibus denegatum fuerit, per eorum Praelatos
& personas, literas ipsas publicare, omnia priuilegia, om-
nia indulta, omnes gratias, quibus a dicta sede decorentur,
adimimus. Volentes illa pro non concessis haberi. Postre-
mo quia difficile foret, praesertes literas ad singula loca de-
ferri, in quibus necessarium foret. Volumus & Apostolica
auctoritate decernimus, quod earum transumpto, manu
Notarii publici confecto, & sigillo alicuius Praelati Eccle-
siastici munito, ubique stetur, prout originalibus literis sta-
retur, si essent exhibitae uel ostensa, non obstantibus consti-
tutionibus & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibus-
cunque. Aut si excommunicatis praedictis uel quibusuis alijs
communiter uel diuisim, a Sede dicta sit indultum, quod
interdici, suspendi, uel excommunicari non possint, per li-
teras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, de
uerbo ad uerbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum

Datum Bononiæ, Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Vicesimo nono, Vndecimo Kal. Ianuarij. Pontificatus nostri Anno Septimo.

POST QVARVM quidem literarum Apostolicarum exhibitionem, & præsentationem, ut præmittitur factas. Nos Vincentius Pimpinellus, Archiepiscopus præfatus, eas conspeximus, contrectauimus, & examinauimus diligenter. Et quia illas sanas, integras, & illesas, non uiciatas, non cancellatas, neq; in aliqua sui parte suspectas, immo omni prorsus uitio & suspitione carentes inuenimus. Idcirco easdem præactas literas per Notariū publicum infra scriptum transsumi & exemplari, ac in publicā & authenticam formam redigi, necnon transsumptum huiusmodi cū ipsis literis originalibus, quarū copia præinserta est, debite collationari fecimus atq; mandauimus. Quibus omnibus & singulis, per nos & dictū Notarium publicum infra scriptum, rite & legitime factis & celebratis. Nos transsumpto huiusmodi nostram auctoritatem interposuimus, ac præsentibus interponimus pariter & Decretum. Volētes & eadem auctoritate nostra decernē, quod præsentis transsumpto, seu publico transsumpti instrumento, ubicunq; locorum ipsum exhiberi contigerit credatur, & integra fides, ac plenaria adhibeatur, ac talis & tanta, qualis ipsis literis originalibus supra insertis adhiberetur, si in mediū producerentur. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentis nostras literas, siue hoc præsens publicum transsumpti instru-

mētum, subscribi & publicari, Sigillisq; nostri pontificalis
iussimus & fecimus appensione communiri. Datum & a/
ctum in ciuitate Pragensi, sub anno a natiuitate Domini,
Millesimo, quingentesimo, tricesimo. Inditione secunda,
die uero Lunæ, ultima Ianuarij. Pontificatus prælibati
sanctissimi domini nostri Papæ, Anno septimo. Præsen/
tibus ibidem uenerabilibus uiris & dominis Testibus, Re/
uerē. patre ac domino D. Ioanne Fabri, Serenissimi Hun/
gariæ & Boemiæ &c. Regis Consiliario &c. ac Paulo
Macarello, ad præmissa uocatis, & requisitis.

Et ego Guilielmus Boscius, Clericus Cenomaneñ,
publicus, sacra Apostolica auctoritate Notarius.
Præfati Dñi Archiepiscopi Abbreviator, quia dictis
literarum Apostolicarum originalium præsentatiōi,
& exhibitōi, auscultatiōi, & collacionatiōi, transsum/
tiq; huiusmodi petitiōi & decreto, omnibusq; alijs
& singulis præmissis, dum sic ut præmittitur per Re/
uerē. in Christo patrem & dominū D. V. Pimpinel.
Archiepif. Rossan. Apostolicū nuncium & coram eo
fierent, & agerentur, una cum prænominatis testibus
præfens interfui, eaq; sic fieri, uidi, & audiui. Idcir/
co de eiusdem Reuerendiss. domini Archiepiscopi
Rossan. mandato, hoc præfens publicum transsum/
pti instrumentum exinde confeci, subscripsi, publi/
caui, & in hanc publicam formam relegi, signoq;
nomine & cognomine. meis solitis & consuetis, una
cum eiusdem Reuerendiss. Rossan. Pontificalis Si

gilli apprehensione signavi, in fidem & testimonium
omnium & singulorum præmissorum / rogatus &
requisitus.


V. Pimpinellus Archiepiscopus
Rosan. Apostolicus nuncius.


Guilielmus Boscius
Notarius.

Et illi appellatione signantur in libris de testamento
et de successione de legationibus per hunc modum et

V. Imperialis Archiepiscopus
Rogatus a suis solis auctoritate

Castellanus P. de
Necivis.





Biblioteka Jagiellońska



stdr0042120





